

Nf. 24.



45

PRORECTOR
ACADEMIAE FRIDERI-
CIANAE,
GEORGIUS ERNE-
STUS STAHL,

MED. D. EIUSDEMQUE & RERUM NATURALI-
UM PROFESS. PUBL. ORDIN. atque ACAD.
NAT. CUR. COLLEGA,

vna cum

PROFESSORIBUS RELIQVIS,
CIVES ACADEMICOS

ad

Ferias, Spiritus Sancti, in Apostolos effusi, memoria *av.*
sacras, sancte celebrandas,

beneuole hortatur atque inuitat.

Typis IOHANNIS MONTAGII, Acad. Typogr.



PROFESSOR
ACADEMIAE
GEORGII
STADII
MAG. D. ERNESTUS & FERDINANDUS
MAG. D. ERNESTUS & FERDINANDUS
MAG. D. ERNESTUS & FERDINANDUS



PROFESSOR
ACADEMIAE

Ernestus & Ferdinandus
Mag. Ernestus & Ferdinandus
Mag. Ernestus & Ferdinandus





Axima sane vis est verborum, qui-

bus *θεόπνευστος* Moses admirandam nu-
tius vniuersi creationem describit. Speciatim
plurimum habent ponderis illa, quæ de Spiritu,
aquis incubante, refert: רוח אלהים מרחפת
על פני המים, significans, SPIRITUM SAN-
CTUM, cum Patre ac Filio, mundi condito-

rem esse. De ipso autem appellationem, רוח אלהים, intelligendam esse,
dubitare nequit, qui, quod res est, vel mediocri tantum cura expendit,
Etenim hoc loco רוח ventum, quocum alias ipse Spiritus S. compara-
tur, haud significare, inter alia liquet e consideratione temporis. *κτισ-
της* *γλαυκος* loquitur de opere primi diei: at primo die nondum vllus existitit
ventus; siquidem hic nihil est aliud, quam aëris agitatio: ipse vero aër
post *רקיע* expansionem, die secundo factam, demum esse cœpit. Non
ergo ventus, sed Spiritus Sanctus *αὐθιγός*, est רוח מרחפת, dictus
רוח Spiritus Dei, nimirum Patris, ac Filii, ab utroque proced-
ens ac missus, Ioh. XIV, 26. c. XV, 26. cui, tanquam vero Deo, qui Patri
ac Filio est *ταυθός*, diuinum creationis opus competit, Psal. XXXIII, 6.
A. G. IV, 24. 25. coll. cap. I, 16. Qui Deus *μονοθεός* & *τρισυπόστατος* con-
didit mundum; vti ipsa etiam vis locutionis, ברא אלהים v. I. sancta me-
ditatione considerandum, mirandumque, subministrat.

Res, in qua, aut circa quam, Spiritus *δημιουργός* occupatus fuit, est
materia huius vniuersi prima, dicta *כִּימִי* aqua, quia fuit *aquosa*, immo ipsa
aqua, sed turbida, & limosa, aliquanto crassius fluida, materiã facile
consistenti, quæ, post expansionem, crassum huius vniuersi sedimentum
constituit, aridaque, seu terra, dicta fuit, quoquo versus permista: quæ
quia vastissima & profundissima erat molis, immensum illud spatium, in
quo totum mundi systema est, ambitu suo continentis, dicitur a Mose
תהום *abyssus*, voce profundissimis aquis competente: eadem ab eodem
vocatur *terra*; quæ ante factam expansionem hic nihil significat aliud,
quam massam illam aquosam, materia terrena, seu crassiore, plenam, e cu-
ius sedimento terra exstitit. Quænam vero fuerit qualitas huius mate-
riæ primæ aquosæ, indicatur vocibus *תרו וברו*, significantibus, eam fu-
isse eudem, & indigestam molem, omnis vitæ, caloris, motus, virtutis,
ac ordinis, plane expertem, totamque adhuc inhabilem ad ordinatam hu-
ius vniuersi constitutionem, edendasque operationes. Neque minus

)(2

ipñ

ipsi omnis defuit color, omnis forma, ac pulchritudo. Nondum enim creata erat lux, colorum, formarumque ac pulchritudinis, causa; sed חשך *tenebra* erant על פני תהום, *in superficie abyssi*, seu materiae istius aquosae & indigestae, abyssum habentis.

Tanta cum esset materiae primae inhabilitas, omnipotenti opus erat formatore, qui tantae moli vitam, calorem, motum, variamque virtutem, naturae ipsius conuenientem, inderet, eamque in ordinem digestam quam pulcherrime exornaret. Et hic formator fuit רוח כרחפת, *Spiritus Sanctus, aquis incubans*, non per modum otiosae quietis, sed per modum operosissimae librationis & agitationis: id quod innuit proprietates verbi כרחפת & participii כרחפת; utpote quod de gallinis aut columbis proprie dicitur, quae supra ova quasi pendulae leni alarum agitatione sese librant, eaque incubando fouent, fecundant, atque animant, pullos exclusurae: id quod Graeci vno verbo quam elegantissime vocant ἐπιπλάζω, ἐπιπλάζω. Quae huius vocis significatio, de Spiritu Sancto θεοπνευστός accepta, indicat, Spiritum Creatorem ἐπιπλάζω virtute sua omnipotenti primigenium illud chaos, seu rudem & inhabilem huius vniuersi massam, ita fouisse, atque affecisse, ut fecundata, animataque, vitam, motum, ac nascendi, gignendique, & innumeris modis operandi, virtutem acceperit, quam in hunc vsque diem retinet. Vnde, quando inter alia de herbis & arboribus dicitur, eas ex materia prima vna cum seminibus suis, ad conseruationem ac propagationem cuiuslibet speciei necessariis (מוריע ורע למינהו) item מוריע ורע למינהו (אשר ורעו בו למינהו) productas esse, respicitur ad ipsam hanc virtutem, quam כרחפת, רוח כרחפת, incubando quasi ac fouendo, vniuersae massae impressit. post, pro specierum diuersitate, secundum diuersas dotes distinctam digestamque: quam virtutem seminalem in arte medica & chymica non inconuenienter *Spiritum* vocari, etiam in vulgus notum est. Quare qui hanc appellationem aut locutionem, non innocentem minus, quam communem (qua Spiritus aliquis creatus πλαστικός, seu σπέρματικός a Creatore Spiritu per vniuersam mundi materiam diffusus dicitur) hodie horrent, eamque pro suspecta & fanatica habent, certe produnt animum & affectum commiseratione egentem. Quia vero creato isti spiritui, seu virtuti seminali, per omnem materiam diffusae, ad hanc expandendam, digerendamque, atque ad vsus varios aptandam, & exornandam, *lux* seu ignis erat opus; DEUS prodire iussit lucem, seu ignem, quo materia tenebricosa fieret visibilis, expansaque diuersas formas acciperet: quemadmodum in officina ferraria requiri videmus haec tria, materiam, fabrum cum in-

Quae



Quæ de rerum omnium principiis hæctenus asserta, cum reuera ita sint, suaque luce radiet; quis dubitaret, ea a sapientibus Iudæis iam olim, inde a Geneseos libro litterarum monumentis consignato, recte fuisse cognita, & ab iisdem cum gentibus reliquis communicata? inprimis cum luculenta huius communicationis vestigia exstent. Etenim illa THALETIS, aliorumque priscorum, *αρχή δόξα*, seu axioma fide dignissimum, quo *α* quam pro rerum omnium principio ac materia prima habebant, quid erat aliud, quam flos, ex horto Mosæico decerptus? Quid est HESIODI *χρόνος* primigenium, nisi Mosæicum illud *תהו ובהו*? Idem sentiendum de Ægyptiorum *Baau*, & vento *Kolpiab*, qui e *Baau*, caligine, tanquam muliere, nostri simili, mortales, & reliqua omnia, formasse creditus est. Quid vero *Kolpiab*, nisi *Spiritus oris Domini*, Psalm. XXXIII, 6. seu *רוח מרחפת*. Quæ vox cum denotaret incubationem columbæ, seu gallinæ super ovis, Ægyptii *רוח*, Spiritum, qui amor ipsis erat, vocarunt *Kneph*, a *כנף* ala, cumque pinxerunt vt columbam, aureolis pennis radiantem, quæ ex materia, tanquam ouo, fouendo exeluserit omnia. Et hinc facile liquet, quorsum referendum sit Orphicorum, aliorumque priscorum, *ὄν πρωτόγονον*, seu ouum primigenium, ex quo fuerint genita, & adhuc gignantur omnia, in mundo, secundum ipsos, huius oui formam habente.

Hæc, *Carissimi Cives*, hæctenus de Spiritu Creatore ac Formatore dicta, quorsum pertineant, facile intelligitis; præcipue hoc temporis articulo, quo *Spiritus Sancti, in Apostolos effusi*, memoria anniuersariis sacris pie recolenda nobis est. Nostrum est, nouæ creationis mysterium, Psalm. LI, 12. 2 Cor. IV. 6. Eph. II, 10. commendatum, & in eo præcipue Spiritus Sancti operationem, ad ductum Mosæicum sancte meditari. Quid, quæso, est vniversus mundus, *ἡμετέριον* consideratus, seu in eo genus humanum, post contractam vniversalem labem, nisi *תהו ובהו*, rudis & indigesta moles, spiritualis vitæ, motus, lucis, atque ordinis, plane expers? O quanta hic deformitas, quanta *ἀραξία* & *ἀναταξία*! Iac. III, 16. quanta omnis boni vacuitas ac inopia Rom. III, 23. quanta in rebus mere diuinis, recte cognoscendis & diiudicandis, caligo, Luc. I, 79. Eph. IV, 18. Nonne secundum effectum Pauli Eph. II, 1. mortui sumus ad omne bonum? Iacemus penitus in malo, similes aquis lutosis ac procellosis, sine fine cœnum & sordes eiicientibus, Ies. LVII, 20.

Huius naturæ nostræ, seu totius humani generis, *shobu vabobu*, tam deformi ac horrendo, opus omnino est *Rûch merachepheth*, Spiritu incubante, ac, quod corruptum est, denuo instaurante. Nec defuit hic mundo, *πνεύματι* restaurando, Etenim cum sine Conciliatore, *ἀντρον* offerente, instaur-



instaurationis opus nec inchoari, nec perfici, posset, Spiritus Sanctus, tan-
 quam מרחפת רוח, ἐπιήλθε, superuenit, & Virtus Altissimi ἐπεσπίασεν, ob-
 umbravit (quibus verbis non incommode exprimitur Hebræorum רוח)
 Mariam, & λόγον ἀσαρῶν, modo ὑπερφυσικῶν conceptum, pareret ἐνσαρῶν,
 eodem Spiritu, secundū humanam naturam, sine mensura vinctum Luc. I. 35.
 Pl. XLV, 8. utpote ipsi quasi incubante Ies. XI, 2. c. LXI, 1. & super ipso,
 in forma columbæ ἐπιωάζεσθαι, (cui ova incubando foventi proprie vox
 מרחפת competit) in baptismo sese librabat, Matth. III, 16. Ioh. 1, 33. Quod
 si a Christi ad nostrum, quo ipsi inicitur, baptismum respiciamus, etiam
 hic deprehendimus פני המים על רוח מרחפת, Spiritum Sanctum aquis
 incubantem. Vti enim aqua primigenia virtutem suam omnem accepit
 ab incubante Spiritu; sic non minus aqua baptismi, per se egena, ad novam
 creationis θεουργίαν, efficaciam suam arcescit a Spiritu Sancto: unde a-
 qua & Spiritus Sanctus in regenerationis opere coniunguntur, quando
 Christus Ioh. III, 6. Nicodemo, in naturali suo רוח וברוך adhuc hærenti,
 respondens: Amen, amen, inquit, dico tibi: nisi quis genitus fuerit ex aqua
 & Spiritu, non potest ingredi in regnum DEI. Conf. Eph. V, 26. Tit. III, 5.

Et quid est regeneratio, nisi creatio quædam nova ὑπερφυσική? Vnde
 mirum non est, hanc eidem Spiritui, qui in creatione naturali hoc vni-
 versum per inditam naturalem virtutem vitamque sæcundavit ac animavit,
 identidem in solidum adscribi; qua de re in primis pie considerari mere-
 tur modo allegatus locus Tit. III, 5, 6. Incubat enim Spiritus S. menti re-
 generandæ, quando peccatoris conscientiam terrore legis premit, pressam-
 que divinis gratiæ stimulis movet, atque vrgendo excitat. Qui Spiritus
 sancti ἐπιωάζεσθαι ubi digne admittitur, contingit in anima, quod contigisse
 legimus in chao primigenio: h. e. concipitur diuina vis ac virtus, & cum
 virtute nova progerminat vita; pelluntur tenebræ restituta luce; desinit
 ἀταξία vna cum ἀσωτία, restituta illa diuini ordinis pulchritudine, qua a-
 nitna suavissima eum consensione ac harmonia subest DEO, ab eius nutu
 vnice pendens; & qua animæ, in singulis suis facultatibus sancte conspi-
 rantis, & a DEO directæ, se regendum permittit corpus, non vitæ ampli-
 us, sed iustitiæ, seruum; qua denique homo in omnibus vitæ suæ actioni-
 bus, totoque eius decursu, sancto ordini studet, cum hominibus aliis
 σαφηνῶνς vtens. Hac ratione vt in naturali, sic etiam in supernaturali,
 creatione fit רקיע, luculentissima expansio, qua animus antea
 mortuus, rudis ac iners, Deoque oclusus, eidem recluditur, & expan-
 sus, totus, quantus seu qualis in suis facultatibus est, DEO, eiusque gratiæ
 ac re-

ac veritati patet; sanctum DEI habitaculum: quemadmodum mundus, per
רוח מרחפת dispositus ornatusque, animantibus, & præcipue homini,
pro domicilio, aut, si mauis, diuersorio est, Si κρίσεις quam optime re-
spondet ἀνάκτισις!

Quemadmodum vero Spiritus conditor peracto creationis opere
non discessit ab huius vniuersi systemate, sed illud conseruat, in confer-
uationis negotio nunquam non θεοπρεπῶς operosus; sic etiam idem
Spiritus, καὶ νῆς κτίσεως auctor, hanc productam nequaquam deserit, sed
miris sanctisque modis fovet, alit, corroborat, & suis dotibus vnctam
magis magisque exornat, ita vt ὁ ἅγιος ἀγιάζει ἐτί, Apoc. XXII, II.
Exemplo hic nobis sunt egregio viri DEI, Apostoli, quippe qui non solum
primo τῆς πεντεκοστῆς, post Christi ἀνάληψιν, celebrato festo, modo plane
extraordinario experti sunt ἐπώασμόν τῷ רוּחַ מרחפת, sed eundem et-
iam per omnem vitam nunquam a se sensere diuulsum, semper vero præ-
sentissimum, inde facti θεόπνευστοι, & sub alis eiusdem, aduersus quas-
cunque diuexationum procellas & impetus tutissime requiescentes. Idem
beneficium etiam singulis Christi membris, in corpore eius mystico, ipsi,
tanquam capiti, sancto fidei & amoris nexu agglutinatis, a Spiritu רוּחַ מרחפת
præstari, inter multa alia testatur egregium illud fidelium axioma, quo
templa, *templa*, inquam, eaque continua, non hospitia mutabilia, Spiritus
sancti sunt & vocantur, I. Cor. III, 16, 17.

Inprimis vero diuini sui ἐπώασμῶς ἐνεργεῖαν Spiritus Sanctus alumnis
suis exerit in statu ipsorum afflictio. Hi enim quo magis rebus premun-
tur aduersis, eo magis eos erigit, suaque virtute suffultos recreat. Quare
si ipsos aquæ (quæ in sacris sæpe calamitatis symbolum sunt) afflictionum
operiant, Pl. XII, 17. XLII, 8. LXIX, 2. 3. 15. LXXXVIII, 18. CXXIV, 4. 5.
CXLIV, 7. norunt, se protegi & foueri a Spiritu רוּחַ מרחפת, his fluctibus supe-
riore, iisque ita incubante, vt compescantur, ac conticescant. Hoc ipso
argumento Petrus suo tempore afflictos νεοφύτους consolatus est, quando
Ep. I. Cap. IV, 14. *si probris, inquit, afficimini in nomine Christi, beati, quoni-
am & gloria & DEI SPIRITUS SUPER VOBIS ἀναπύουσαι* acquiescit:
id quod idem est, ac si dixisset, רוּחַ מרחפת עליכם.

Vti nobis, sic & vobis, o nostri Cimes, sapientiz alumni, hæc scribun-
tur. Quare hæc prima vestra merito cura sit, vt digne agnoscatis horren-
dum illud *ibohu vabohu*, in forme illud chaos, in quo omnes per communem
naturæ labem infelicissime hæretis. Tum vero digne agnoscitur, quando
per mysticum Spiritus sancti ἐπώασμόν dispellitur; quando, quæ in vobis
per naturam rudia sunt & indigesta, per gratiam ζωοποιητικὴν bene erudita
cult-

cultaque *ἐν τῷ αἵματι* digeruntur, & sanctis dotibus exornantur. O quam
 multi vestrum illud mentis chaos, quod cum crudis studiis huc attulerunt,
ἀταξία! Alii, honestatis ac decori ratione habita, vitam viuunt ad virtutis
 præscriptum aliquo modo naturaliter compositam; sed a noua creatione,
 nouisq; Spiritus Sancti *χρισμῶσι*, abhorrentem. Hæc autem quid est, nisi
תרו ובהו, nisi *confusum chaos*, & quidem, respectu æternæ salutis, eo no-
 centius, quo apparet politius ac elegantius. Eadem est ratio studiorum,
 citra gratiæ ordinem tractatorum. Etsi enim hic rationi, sibi relicta, &
 pro prauorum affectuum instinctu iudicanti, bene ordinata & solida vi-
 dentur omnia; tamen reuera sunt *confusum chaos*, rudis & indigesta inani-
 tum idearum moles, quam scopi obliquitas, & peruersa tractandi ratio, iam
 tum incompositam, multo confusorem reddunt. Igitur summa est neces-
 sitas spiritualis *ἐκκατάστασις*, quem Spiritus Sanctus in regenerationis & re-
 nouationis ordine exferit, & qui, uti nunquam non, ita præcipue hisce
 diebus, piam meditationem requirit.

O quam bene erunt collocati hi dies, si admissa fuerit Spiritus Sancti
 disciplina, inprimis *κατεβύβασα* illa, interiore & sancta castigatione, quam
 Christus prædixit ac promisit *1oh. XVI, 8. 9. 10. תרו ובהו*, confusissimum
 animi chaos, partim nascendo, partim male viuendo, contractum, mani-
 festans ac dispellens; si vnusquisque gerat animum, qui *רוח מרחפת*, in-
 cubanti Spiritui, locum relinquat; inprimis quoties sacri sermones, quibus
 sese animis insinuat gratiæ aura, a Spiritus sancti libratione mota, in tem-
 plis audiuntur; si nec in hoc festo, nec posthac, impuro sermone, aut im-
 pio opere, *רוח מרחפת* contristetur, secundum grauissimum illud Pauli
 monitum: *ne contristare Spiritum Sanctum, quo obsegnati estis in diem redem-
 tionis*, Eph. IV, 29. 30. Speciatim si amœna cœli facies non exultimetur
 nunc, & posthac, ad *ἀταξίαν* ruralem, & *ἀσωτίαν* Bacchicam veneremur
 que, sed potius ad affectuum morumque serenitatem, & DEI gratia ad
ἡσυχίαν, quam suauissime inuitare; & si cum sancta sanctissimi Numinis
 reuerentia pendatur illud Davidicum: *Domine, quo abiuro a
 Spiritu tuo*, Spiritu, huic vniverſo, ac præcipue vnus cuiusque con-
 scientiæ, incubante, Pſal. CXXXIX, 7. Qua ratione qui festos hosce, &
 cœ decernunt, super his, tanquam super Israele DEI, *רוח מרחפת*, & cum
 eo pax & misericordia DEI (Gal. VI, 16.) nunquam non recumbet!

P. P. in ACADEMIA FRIDERICIANA die XXIV, Maii,

ipsis *ἐπισημασμένοις* festis. M CCXI,

☉ (o) ☉ : ☉ (o) ☉



Ja 1586

ULB Halle

3


001 508 687



St

VON







45

PRORECTOR
ACADEMIAE FRIDERI-
CIANAE,
GEORGIUS ERNE-
STUS STAHL,

MED. D. EIUSDEMQUE & RERUM NATURALI-
UM PROFESS. PUBL. ORDIN. atque ACAD.
NAT. CUR. COLLEGA,

vna cum

PROFESSORIBUS RELIQVIS,
CIVES ACADEMICOS

ad

Ferias, Spiritus Sancti, in Apostolos effusi, memorie av.
sacras, sancte celebrandas,

benevole hortatur atque inuitat.

Typis IOHANNIS MONTAGII, Acad, Typogr.

